

AD
AUDIENDAM ORATIONEM
PRO
MVNERE
PROFESSORIS PHILOSOPHIAE
IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
RITE SVSCIPIENDO

D. XXX. AVG. MDCCCXCVII.



HABENDAM

DECENTER INVITAT

FRIDERICVS BOVTERWEK.

Agitur de Sensu veri.

GOTTINGAE

IOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.

Philos.

B.

04,26

sp. Juss. 1723.)

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

DE
S E N S V V E R I.

Animal ratione praeditum, quod hominem vocamus, sentiendi facultate pluribus animalibus non modo non praestat, verum et in eo inferius est omnibus, quod solis sensibus ne umbram quidem seu obscuram veritatis speciem percipit. Cum enim sui compos est, ratione utitur vel certe abutitur; ratione autem destitutus, intus obcaecatur et cum intelligentia sui que ipsius conscientia sensibus quoque percipiendi aliquid et externa cognoscendi facultate priuatur.

Cum igitur sola mentis humanae acies sit Ratio, mirum profecto videtur,
A tur,

tur, homines vnquam de naturali mentis humanae caecitate esse conquestos; quod tamen saepissime factum esse scimus. Theologi quidem huic argumento *fidei*, vti dicunt, necessitatem superstruxere. Ipsi autem philosophi in eandem fere sententiam abeunt. Vt enim theologi fide, ita philosophi philosophia opus esse aiunt ad veritatem investigandam ac percipiendam. Paucissimas, si modo vllas, apud veteres inuenies rationis humanae laudes, philosophiae autem innumeras. Neque vero id ita intelligendum est, ac si vnquam philosophi arte sua rationem deprimere voluissent, cuius expertes ne ipsi quidem euadere potuissent philosophi. Sed rem ita se habere rationisque istius, quam philosophicam appellare licet, elementa seu prima stamina ex vulgari seu communi ratione repetenda esse, non satis reputaverunt veteres. Itaque qui se sapientiae

tiae

tiae studiosos profitebantur, popularem prudentiam alto despiciebant supercilio. Aut philosophum te esse aiebant, aut stultum. Sed bene sperare licebat hisce stultis, cum philosophi, sapientiae professores, ipsi sibi inuicem ignorantiam, errores, imo vero et stultitiam exprobrarent. Igitur populus primum irrisus, deinde leuiore philosophorum admiratione captus, mox vulgari ratione plurimas philosophorum disceptationes rectius et melius quam ipsa philosophia dirimi posse indicans, sensim eo progressus est, vt philosophiam subtilem illam ac artificiosam vt ridiculam exploderet, sensum autem, quem vocant communem, iis, quas ante sibi philosophia vindicauerat, laudibus ad coelum ferret ac — quis crediderit? — ipsius philosophiae nomine decoraret.

Superuenit KANTIUS, vir grauissimus, nouo sermone noua in philosophia

A 2

reperta

reperta exponens. Noua lis orta est inter philosophos Kantianos ac sensus communis praedicatores. Non desunt quidem, qui nullum inter philosophiae praecepta sensusque communis statuta discrimen esse arbitrentur, cum is praecipuus philosophiae vsus sit vt sensus vere communis vindicetur a *Scepticorum* iniuria. Quid autem? Nonne et Sceptici philosophi sunt? Ipsis certe. Populus autem, qui modo plaudit, modo sibilat, vt optimatum aliquis — est enim et in philosophia optimatum summa auctoritas — multorum potissimum commodis studere videtur, rem ipsam, quae agitur, semper ignorat.

Nos aeternam disceptationem haudquaquam inituri, tamen ad declaranda illustrandaque quaestionis ipsius momenta, quantum in nobis est, adlaturi, de sensu veri pauca disputemus.

Primum

non tantum, quod extra nos positum est, sed quodcunque sola cogitatione non efficitur; intellectum ipsum, menti insitum, differre a notione intellectus, licet ab ipso concepta, dubitari nequit. Cogitant infantes, sed se cogitare nesciunt. Intellectu gaudent; intellectus notione carent. Igitur forma mentis, qua nititur cogitatio, non idem est, quod ipsa cogitatio.

Formam mentis eandem esse omnibus, qui ratione utuntur, recte dicimus; cogitationum autem, quas forma ista complectitur, summam esse diuersitatem, experientia docemur. Nascuntur opiniones ac sententiae inter se discrepantes, quamuis ipsius mentis ratione praeditae nulla cogitari possit cum eiusdem generis mente discrepantia. Singularis autem ea mentis natura est, ut praeter res externas sui ipsius naturam percipiat. Ponuntur principia ac regulae formam mentis notionibus

ac

ac iudiciis reddentes et quasi imitantes. Oritur principiorum, quibus forma intellectus redditur, scientia princeps, quam Logicen adpellamus. Neque tamen arti logicae regulisque ab ea positis ipsa mentis forma inest, sed artificiosa tantum eius adumbratio.

Altius haec repetenda erant, vt, quid sensus veri sit, e natura *sanae mentis* adpareat.

Quid est sana mens, laudata a multis, desiderata in plurimis, non tantum ex populo, sed philosophorum quoque nonnullis, qua tamen, omnibus rebus humanis in trutina suspensis, nihil cogitari potest pulchrius, nihil praeclarius?

Regulae veritatis, quibus, quidquid in omni causarum genere verum falsumue sit, generaliter diiudicemus, rarissime ab intellectu terminis logicis redduntur, omnibus autem cogitationibus ab ipsa

A 4

mente

mente praeponuntur. Quod si non fieret, nulla prorsus existeret veri atque falsi diuersitas, ad quam tamen omnis cogitatio reuocatur. Eiusmodi autem regulae conscia mens non tantum errores vulgares, rusticitate quadam squallentes, respuit, sed eos quoque auersatur, qui nitida ac speciosa formularum adumbratione veritatis seu mentis ipsius formam mentiuntur. Tantum autem haec forma differt ab omni formularum genere, quantum a notione res. Quaeritur inter philosophos, quaenam sit summa veritatis regula terminis logicis concepta ac expressa. Sanae menti lex sua, ideoque ea ipsa regula quasi scripta inhaeret. Quod igitur quaeritur a philosophis, formula est, qua regulam illam menti inscriptam terminis logicis ita complectamur, vt ab omni dubitatione immunis sit. Sed sanae menti legem suam inesse, iis quoque fatendum est, qui eiusmodi formulam vel
inuen-

inuentam esse vel inueniri posse negant. Neque enim id quidem rite negarent, nisi ipsa negatio niteretur certa quadam veritatis regula. Atqui suis ipsi rationibus repugnant, qui, cum omnia incerta ipsumque veritatis nomen cassum esse quiddam aiunt et inani vocis sono decoratum, hoc tamen adfirmant ideoque veritatis regulam quandam, qua nititur ipsa dubitatio, menti inesse statuunt.

Posita igitur notione cum sanae mentis, tum regulae veritatis huic menti inscriptae, licet fortasse ratione nondum perspectae, ipsa hac nostra disputatione, quid sensus veri sit, explicauimus. Quae enim non satis intelligimus, cogitatione autem obscura recte percipimus, ea nobis sensisse potius quam cogitasse videmur. Hinc veritatem sentiri posse quidam opinati sunt. Sed veritatis stabilis regula est, sensus autem varia, imo nulla. Ra-

A § tione

tione igitur, quod verum esse adfirmamus, probandum est, non obscurae sensus notioni inuoluendum. Cum autem sentiendi facultas, quam vno vocabulo sensum vocamus, nulli regulae adstricta, variis modis temperetur, nunc rerum externarum natura, nunc ipsa ratione ansam dante; quidni temperari statuamus etiam sensum internum summae veritatis regulae conscientia? Mens cogitatione sua mouetur atque afficitur. Itaque dum suis viribus ad se ipsam intelligendam innititur, ipsam veritatis regulam videtur sensisse. Quid est igitur sensus veri? Est obscura cogitatio ab obscura regulae veritatis, menti ipsi insitae, conscientia profecta. Est ratio ea, qua vtuntur homines, quibus nulla veritatis est notio perspicua, quaque ipsi vsi sunt philosophi antequam eius aetatis essent, vt possent philosophari. Oritur hic sensus ex sanae mentis naturali habitu
ad

ad inuestigandam veritatem. Quo cum ab incunabulis inde omnes gaudeamus, quotquot ratione sumus praediti, in paucissimis tamen integer seruatur ac immunis ab erroribus, quibus pueri iam imbuimur. Adulteratur praeterea violentis animi motibus ac perturbationibus. Itaque quem vulgo *sensum communem* vocamus, is saepissime falsi potius quam veri sensus est.

Comparare licet veri sensum cum sensu pulchri. Vterque enim notionibus nititur terminis logicis nondum conceptis regulamque continet sentitam, non intellectam. Itaque vtriusque statuta ad formam mentis omnibus hominibus communem referimus. De vtraque nunquam disceptationem oriri posse arbitramur, si omnibus hominibus integer esset sensus cum veri, tum pulchri. Differunt autem hi sensus eo potissimum, quod, dum aliquid pulchri sentimus, iam nobis
obscura

obscura cogitationum concinnitas satisfacit, vt adeo suavis illa pulchritudinis species somnii instar dissipetur ac euanescat, simulac mens ad perspicuas notiones attollitur. Veri autem sensui semper nisus inest veritatis fontes, duce ratione, adeundi ipsamque eruendi e tenebris, quibus mens est plerumque immersa.

Veri et pulchri sensus in eo quoque conueniunt, quod studio ac doctrina comparari nequeunt pendentque ab ingeniorum praestantia. Quamquam enim nemo iis sit prorsus destitutus, paucissimis tamen ita firmus ac validus est animus, vt errorum illecebris vel philosophiae nomine decoratis vel religione quadam munitis fortiter obistere possit. Quid? quod ad naturalem mentis habitum exuendum nimis multa valent vitia naturae humanae insita. Accedit coeli temperies, sanae menti interdum pestifera; denique mo-
res

res pravi, qui et fortium animorum praeclaram indolem corrumpunt.

Sed ante quam haec diligentius exponamus, sensus veri vocabulo moniti inspiciamus *Andreae Ridigeri*, non spernendi acuminis viri, librum, cui idem ac nostro titulus inscriptus est. Nihil habet cum nostra disputatione praeter nomen commune. Ridigero sensus veri est, vt ipsius verbis vtar, “dexteritas quaedam, regulis prompte et expedite, quid in vnaquaque re verum falsumue sit, sentiendi.” Logices diligenti studio eiusmodi dexteritatem effici ille putat. Nos contra statuimus, ipsam artem logicam illis superstructam esse regulis, quas mens humana sentit ante quam intelligit.

Iam quaeramus: *Quaenam sit sensus veri utilitas, si eo vtuntur ingenia philosophiae studio non exornata?*

Primum cauendum est, ne sensum veri corruptum confundamus cum mentis

tis

tis imbecillitate. Quorum enim mens imbecillis est, hi sua natura non facile ad errores deducuntur, nec pravae in iis nascuntur opiniones, quibus plerumque nulla est opinio. Imo fieri potest, ut hebetis ingenii homines verborum praestigiis difficilius circumveniantur quam callidi, quos, si animo commoto aliquid volutent, ipsos sua decipit calliditas. Hinc animi perturbationes a Stoicis morbi vocatae sunt, cum mentes eorum, qui ira aut studio commoti indicant, profecto non sanae sint. Quis est autem, qui, dum errat, errare se putet? Scilicet nemo. Qui enim errare se putat, haud amplius errat. Stultissimi autem sibi non modo non stulti, sed interdum sapientissimi esse videntur. Insigni mentis vigore gaudent, qui, dum studiis suis decepti falsa pro veris admittunt, hoc certe recte sentiunt, se ad recte sentiendum minus esse paratos. Plerique enim
caecis

caecis rapiuntur erroribus et, quae ipsis arrident, propterea quod arrident, bona censent esse et recta. Cum autem ea sit humana conditio, vt omnibus fere errores quosdam arridere necesse sit, quis demum est, qui se sana mente gaudere recte gloriatur? Nemo certe, cui, vt vera a falsis discernat, in minimis quoque philosophiae opem implorare necesse est. Non enim sanum dicimus eum, qui nunquam carere potest medicina. Sed quemadmodum bonus quisque, qui malis cupiditatibus agitur, conscientia sua, ita, quibus sana mens est, hi sensu veri interno, vt Socrates genio suo, in ipsa rerum contemplatione, ante quam ratio diligens ac studiose inquirens accessit, admonentur.

Descende in populum; facile deprehenderis aliquem nec ingenio destitutum, nec disciplina carentem, at tamen insanabili laborantem stultitia.

Contra

Contra inuenientur alii, nec ingenio praestantes nec doctrinarum copia instructi, ita tamen intus comparati, vt opiniones quasdam a sanae mentis iudicio nimis abhorrentes, etiamsi gravissimorum virorum auctoritate firmatae fuerint, constanter respuant. Nonne his sensum veri eximium esse credamus? Ea enim stultorum est sapientia, vt pro veris habeant, quae refellere nequeant. Aliud est, refellere non posse, aliud, rationibus, quae ad probandum argumentum per se sufficiunt, ad adsentiendum adduci. Igitur, si mens bene valet, rationes ad refellendum sufficientes superesse, etsi non praesto sint, sensu veri monemur, ac propterea dubii haeremus. Singularia in hac causa exempla occurrunt. FRIDERICUS II., regum, non autem philosophorum, princeps, cum animam immortalem esse negaret, nullis tamen philosophorum aulicorum,
Gallo-

Gallorum praecipue argumentis, vt quoque Deum esse negaret, potuit adduci. Idem, cum cogitationes ad corporis fabricam reuocaret, liberum sensit esse animi arbitrium.

Nec omnes gentes sensu veri aequae praediti esse videntur. Quidnam causae fuisse putemus, cur Europaeae originis populi fere omnes in rebus publ. constituendis libertatis studiosi fuerint, omnis autem fere Asia atque Africa, quantum repetere licet rerum ibi gestarum memoriam, seruitute oppressa? Multa perperam de libertatis sensu hominibus nostris insito praedicantur, qui quidem, quatenus naturalis tantum est nec cogitationibus expolitus, non solum omnibus hominibus, sed bestiis quoque inest quae se caueis includi aut catenis adligari aegre patiuntur. Sed humanae atque a sana mente gubernatae libertatis sensus iis vix vllus esse poterit, qui cupiditatum flamma correpti,

B dum

dum liberi sunt, ipsi ad interitum ruunt aliorumque libertati insidiantur. Tales autem plerumque sunt istae gentes, quarum libertati non natura sua, sed coeli temperies ac solis ardor, omnes cupiditates exacuens, infestus est. Quos quidem non ita fato trahi crediderim, ut ne tunc quidem, ubi cultus aliunde petitus ipsorum studiis accesserit, ad saniores rationem progressuri sint. Sed gentibus Europaeis, iis, inquam, quae a natura sua nondum descivere, Asiatica dominatio res absurda videtur. Sensus veri hoc loco est ipse sensus libertatis. Itaque maiores nostri, vel antequam plures rerum publ. formas inter se conferre artique politicae operam dare didicerant, libertatem, cuius naturaliter omnes homines studiosi sunt, in republ. legum dominatione effici, ab initio senserunt.

Inter Europaeos populos nostra aetate celebres Germani ac Germanicae
origi-

originis eodem sensu caeteris praestare videntur. Maior sit Sarmatis alacritas. Morum elegantia, calliditate, variisque artibus vincamur a Gallis Italisque. Sint licet tardiora nostratium ingenia, dummodo tarditatem grauitate compensent. Nos mentis sanitate vigemus, ideoque nostra sunt plurima atque optima in philosophia reperta, quae nunquam profecto assecuti essemus, nisi ingeniis sensu veri bene praeparatis ad philosophiae studium nos contulissemus.

Inter alia, quibus sensus veri, quo nostrates gaudent, praestantiam probare datur, vnum tantum adferamus, quod nemini dubiae interpretationis fore confido. Tempore isto, (*medium* vocatur in historia) quo a pontificis Romanorum nutu omnis Europa pendebat omniumque ingeniorum vis et alacritas ignorantia ac superstitione oppressa languescebat, quomodo factum

B 2

est,

est, vt maiores nostri nunquam se supremo illi fidei tribunali subniserint, quod, *inquisitionis* nomine ipsius instituti ferociam dissimulans, terrorem late ferebat? Eodem enim quo caeteri populi religionis vinculo tenebantur maiores nostri. Sed portentum sentiebant esse illud tribunal ita absurdum, vt nullum vnquam inter varias, quae orbem terrarum foedavere, superstitiones maius excogitatum sit sanae mentis dedecus.

Sed nostrum in hac disputatione non est laudibus efferre patriam. Itaque missis ingeniis doctrina nondum excultis, quaeramus tertio loco:

An sensu veri carere possint philosophi?

Philosophia a quibusdam medicina mentis dicitur. Medicos pharmacis pro cibo vti alioque victu carere posse, nusquam legimus. Circulatores autem, qui vulgo adnumerantur
medi-

medicis, venena saepius pro medicina populo ministrasse satis cognitum et compertum habemus. Si medicina mentis philosophia est, philosophi sunt medici. Vt igitur videamus, vtrum hi, philosophia seu medicina sua contenti, sensu veri carere possint, an, si careant, cum ipsi tum philosophia insigni inde capiant detrimentum, desultoria ratione vtentes fingamus sanam mentem, philosophiae studio non exornatam ac propterea a philosophis vituperatam, hunc fere cum philosophis sermonem habuisse:

“Conuenit, sana mens inquit, inter vosmet omnes, alia vera esse, alia falsa. Quae autem vera sint, ratione ac via probanda ac demonstranda esse, facile vos mihi datuos esse spero, qui, si dubitaretis, vobismet ipsis repugnaretis, cum ipsum argumentum, quo, omnia incerta esse, euincere conaremimi, vel absurdum foret vel ra-

B 3

tione

tione comprobatum ideoque verum. Iam tertium quoque mihi detis necesse est, vnam esse eandemque rationem qua vtuntur omnes homines de vero et falso disputantes ac dubitantes, quorum quidem opiniones ac sententiae philosophica ratione vel firmandae erunt vel refellendae. Vna igitur eademque ratione vtuntur et philosophi. Sin secus, insania laborarent qui se inuicem erroris arguere ac refellere studerent. Quae cum ita sint, fieri vix poterit quin quartum denique mecum omnes statuatis, vnam eandemque omnium mentibus inesse veritatis regulam, philosophica ratione firmandam ac stabiliendam, a nemine autem sanae mentis homine in dubium vocatam. Qui enim negat, varias de vero ac falso disputationes ad vnum caput, idque indubitatum, esse reuocandas, incassum philosophatur, cum ex ipsius sententia philosophiam nihil aliud esse sequatur

quatur quam artificiosam ac, dum alios
refellere conetur, se ipsam refellentem
insaniam. His ita positis, quid, ob-
secro, est quod alius alio discurret,
simul ac quaestio mouetur de summo
philosophiae principio? Idne, quod
rationem dicitis, vos, ratione subtili
dissidentes, ignorare credam? Ipse
quidem, ille ego sensus communis, a
plurimis vestrum despectus, me, ra-
tione non aliter ac brachiis ac pedibus
utentem, quid ratio sit ignorare fateor.
Sed vellem didicisse. Quo me con-
vertam? Cuiusnam doctoris opem im-
plorem? Omnium ne ac singulorum?
At abeunt in diuersas partes. An eius,
qui, quod summum est, se ipsum
optime noscit? At omnes id de se
praedicant. Igitur quemque suos, etiam
in philosophia, pati Manes, cum poëta
dicendum esso statuerim, ideoque phi-
losophos id, quod in philosophia maxi-
mum est, nescire. Ratione, tanquam

B 4

sensu

sensu subtiliori, ad varias opiniones trahimur. Quod prima videtur esse veritatis regula ratione describenda, sensus communis est. Tantum autem abest, vt isto sensu carere possint philosophi, vt, quoniam eo plurimi carent, philosophia nihil fere sit quam dissentientium altercatio.”

Quae cum a sensu, vulgari eo quidem, sed acuto, contra philosophiam disputentur, quidnam respondeant philosophi? Scilicet in ipso quaestionis momento in diuersas abeunt sententias. Sunt qui, cum omnia dubitationibus labefacta esse animaduertant, vna eademque ratione nihil prorsus euinci, sed variis rationibus, modo ab vna, modo ab altera parte petitis, iisque in vnum congestis, quid in omni caussarum genere verum sit, docendum opinentur, quasi ratiocinatio argumentorum constaret computatione, non pondere. Probabilia sequi, humanum
esse

esse dicunt. Ipsam philosophiam iis contentam esse debere, quae ad veritatis speciem proxime accedant et veri sint simillima. Sic philosophiae obtrectatores suis ipsi gladiis videbantur confecti. Pluribus enim, quam illi, argumentis vtuntur philosophi; numero autem argumentorum, quid verisimillimum sit, inueniri, omnemque de summa veritatis regula disputationem in summa inanitate versari, ipsi docent illi philosophiae vindices. Ita foedus inter philosophos et sensus communis sectatores iunctum est haud opinatum. Quale autem, si conditiones inspicias? Pacem inter Christianorum republ. ac Turcos, ex communi sententia, maiorem vim habere probauerim. Non enim ea rationum nititur inter se repugnantia. Qui autem de prababilibus ac veri similibus sermo habetur, vagus et inutilis est, nisi antea ponatur, quid verum sit, ad

B 5

cuius

cuius similitudinem omnia reuocentur. Atqui de vero nunquam conueniet, nisi ratione regulis firmata. Omnis igitur de probabilibus disputatio nihil momenti habet ad quaestionem de sensu communis, qui ipse sibi sensus veri seu recta ratio esse videtur, in philosophia necessitate ac praestantia.

Sed ne aberrare videatur oratio nostra, eo reuertamur, vnde sumus progressi. Mentis medicina philosophia esse dicitur. An sit, dubitatur ab omnibus, qui, sensu communi contenti, se aegros esse non sentiunt. Iidem, cum philosophorum altercationes ac dubitationes secum considerant, ipsos philosophos ad sensum communem reuocant. Quod quidem indignum videtur philosophis. Sed ita res fert, quoniam de recta philosophandi via diuersae sunt philosophorum sententiae. Non enim opinionum congeriem mens erroribus obuoluta desiderat,

siderat, sed singularum regularum, quibus, quid verum, quidue falsum sit, suadente sensu communi, iudicemus, vel certam demonstrationem vel denique refutationem. Quam diu autem de ea non constiterit, nulla re magis quam sensu isto philosophis opus est, quo mens ad se ipsam inselligendam ac certis veritatem regulis stabiliendam impellitur. Quodsi ingenio ac notionum copia recta efficeretur philosophandi ratio, nunquam in hac quaestione grauissimos viros vidissemus esse allucinatos. Sed ita fert humana conditio, vt ingenia ad philosophiam promptissima vitiis saepe laborent, a quibus vel ipse sensus vulgaris immunis est. Eadem argumentandi vi, qua populum antecellunt, ipsi in peius ruunt. Nouis rationibus novos effingunt errores ac tanquam ignes fatui variis saltationibus ac micationibus viatores in paludes abducunt.

Primum

Primum multos, sensu veri non satis admonitos, praecipitatis ac praeposteris abripi videmus argumentationibus. Falsa enim argumentatio, dummodo non careat forma quam *sylogisticam* vocamus, perinde ac veramenti non satis caetae arridet. Delectantur autem philosophi argumentationibus forma *sylogistica* inclusis, quasi castellis ac munimentis, quibus se philosophia tueatur aduersus imperitos. Sed argumentorum materie, non formulis vltima demonstrationum ratio continetur. Vnius notionis examine neglecto, vnus error parit innumeros egregie inter se connexos; quibus positus fingitur argumentorum series, *systema* dictum, veluti nodus arcte nexus, quem tamen interdum vno filo attracto soluere liceat ipsaque solutione destruere. Exempla quis quaerit? Magna nomina in promptu sunt; sed labem philosophiae inferre, vbi omnia luculenter

lenter exponendi locus non est, religioni nobis habemus.

Nituntur argumentationes accuratis notionum descriptionibus seu definitionibus. Non autem definitionum, sed rerum, quae ita finiuntur, natura veritas constat. Sensus vulgaris falsae vel inanis, quantum vis elegantis ac ingeniosae, definitionis specie non facile capitur; philosophis autem definitiones suae saepissime in deliciis sunt; quo fit, vt, veritatis quidem studiosi, terminis autem logicis tanquam rebus ipsis confisi, egregie fallantur. Vir summus LEIBNITIUS, (cuius diuinum ingenium, quanto magis perspicio, tanto studiosius veneror) duo statuit esse definitionum genera, quorum alterum *nominale* vocat, alterum *reale*. Ad nomina tantum, id est, notiones logicas, quae nominibus significantur, spectare dicit definitiones communes, quibus rei quidem notio determinetur,
rem

rem autem ipsam esse, vel nihil obstare, quo minus sit, minime demonstratur. Reali autem definitione ex mente LEIBNITII posita, rem, quae ita finitur, in rerum natura inueniri, imo effici posse, colligitur. Ita circulum definimus esse figuram, quae oritur motu lineae rectae circa punctum fixum. Describendi eiusmodi lineam ex lege definitionis periculum facias; circulus adparebit. Quod quidem et in *metaphysicis* fieri vellemus. Quaestionibus enim metaphysicis non solum notiones seu nomina describere, sed rerum naturam penitus perspicere, nec tantum, nihil obstare, quo minus rem cogitemus, sed quo minus sit, quod sola cogitatione nunquam efficitur, probare conamur. Igitur definitiones, quae ad nomina seu notiones tantum pertinent, ad metaphysica nihil faciunt. Quis autem ipsum LEIBNITIUM eiusque disciplinae grauissimum sectatorem WOLFIUM,

FIUM,

FIUM, neglecto illo rerum et verborum discrimine, immensum notionibus logicis omnia diuina ac humana definiendi ac definitionibus explorandi opus adgressos esse ignorat? Qui, si sensum veri, quo certe non carebant, ratiociniis suis non depressissent, eo ipso fuissent admoniti, notionibus logicis a mente tantum cogitatis ac definitis rerum naturam explorari non posse.

Aliud est definitionum discrimen, quo neglecto in ipsa rerum contemplatione fallimur. Quaedam enim definitiones ad res ipsas spectant ita, vt, si rem esse non dubitamus, explicemus, qualis sit, ex ipsius natura, quam nobis sensus obtulit. Aliae autem ad logicas tantum conceptiones pertinent ita, vt nihil iis definiatur praeter actum, quo mens rei notionem effingit; quas vocabulo nouo, nostris hominibus usitatissimo, *formales* adpellauerim. Est enim forma mentis complexus regularum

larum ipsi insitarum quibus definitur cogitatio. Eiusmodi definitiones in summo vertuntur discrimine, cum, licet inanes sint, id est, rerum naturam non attingant, adcuratissimae tamen videantur atque certissimae, ideoque ad rerum ipsarum explicationem perperam trahantur. Ita Stoicorum de summo bono disputatio forma mentis nitebatur et notione perfecti. Sapiencia Stoicis erat summa mentis atque animi perfectio. Malum iis erat idem quod imperfectum. Sapiens Stoicus a malo erat immunis; atqui non item a dolore; itaque dolorem non esse malum demonstrasse videbantur ex notione sapientiae, qualis a mentis forma, nulla rerum externarum earumque naturae ratione habita, deriuatur. Sed doloris notio ad sensum, non ad imperfecti cogitationem proxime referenda est. Igitur malum, quod in logica notionum pugna situm est, longe differt

differt a malo, quod sentimus, siue a dolore, quem cogitatione tantum ad imperfecti notionem referimus, quoniam quidquid imperfectum est, rerum sapit discrepantiam, dolor autem discrepat a felicitate, cuius omnes sumus studiosi. Sed mirum in modum adrisit viris grauissimis huius argumenti fallacia. Eodem enim fere omnis LEIBNITII demonstratio de mundo optimo redit. Mundum malo carentem mundum non fore, ait, cum malum idem sit quod imperfectum, perfectum autem nihil cogitari possit praeter Deum, omnium rerum auctorem. Recte quidem, si malum non sensus, sed imperfecti tantum cogitatione iudicamus. Quod autem plus est in sensu mali quam in imperfecti cogitatione, eius ex imperfecti natura ratio reddi nequit. Imperfectus foret mundus tunc quoque, si nullum in eo animal dolorem sentiret, quidquid autem praeter Deum est, tantum natura sua a Deo distaret, C
quan-

quantum, verbi causa, bestiae distant ab homine. Homo enim eo, quod homo, non quod felicior est, perfectior habendus esset omnibus bestiis more suo felicissimis. Ita, veri sensu permoti, multi semper disputauere contra LEIBNITIVM. Vnius enim vocabuli descriptione malum e mundo tolli, vix credibile videbatur his, qui plus esse in dolore, quam in mali cogitatione, sentiebant. Sed obterebantur philosophorum sententiis.

Neque ad ipsius animi vim ac naturam intelligendam definitiones, quae tantum ad formam mentis spectant, multum facere videntur. Vim adpetendi (*das Begehrungsvermögen*) KANTIUS V. C. definit esse facultatem, cogitationibus efficiendi, vt existant res cogitationibus conformes *). Multa sunt,

*) *Durch seine Vorstellungen Ursache der Gegenstände dieser Vorstellungen zu seyn, sunt verba KANTII. Vide eius Metaphys. Anfangsgr. der Rechtslehre, pag. 1.*

sunt, quae contra hanc definitionem adferri possint. Sed in eo subsistamus, quod ad animi naturam, unde liberum arbitrium prodit, clarius perspiciendam, haud ita magnae utilitatis est ista definitio. Sit licet adcuratissima; non tamen ipsam adpetitionis naturam, sed mentis formam reddit, ad quam adpetitionem referimus. Quid enim? Si animi vi efficitur, ut existant res cogitationibus conformes, quaeritur, utrum adpetitio ab ipso animo incipiat, an tunc demum vi sua animus utatur, si voluptatis sensu ad adpetendum id, quod placet, stimuletur? Vtrumque fieri posse, nec ipsum definitionis auctorem fugit, quippe qui liberam adpetitionem seu voluntatem distinguit ab animali impetu ac pruritu. Sed quidam eius doctrinae interpretes definitionem istam illustrantes id agere videntur, ut novum inde argumentum petant, quo,

nihil obstare, quo minus animus liber sit, demonstrent.

Verum non definitionum censuram instituere voluimus. Exemplis tantum vsi sumus his, quae attulimus, vt philosophos facilius quam sensus communis praedicatores falsis ac speciosis definitionibus ad errores abripi probaremus.

Aliud vitium, quo plures philosophi, sensu veri non satis admoniti, laborant, nimia est ipsius philosophiae admiratio. Cum enim vulgus innumeris erroribus ferri vident, quidquid populus statuit, errorem esse autumant vel prorsus abiiciendum vel certe corrigendum. Inde oriuntur mirae et a sensu communi abhorrentes sententiae, saepissime ab ipsis inuentoribus *paradoxa* dictae. Sed nulla forent in philosophia paradoxa, si sensus veri omnibus hominibus integer esset. Populi plausum capere propter eam
solam

solam rationem indignum philosopho est, quod plurimorum sensus prauis opinionibus contaminatus est atque corruptus. Sed *dum vitant* quidam homines *vitia, in contraria currunt*. Contemta quauis vulgari ratione tum demum se philosophari opinantur, cum populo videntur insanire. Vtinam, nullus vnquam philosophus aliter quam ex populi, nec item ex aliorum philosophorum sententia desipuisset!

Sensu veri prorsus destitutos esse censeo, qui, magna quidem philosophiae, maxima autem sui admiratione capti, non tantum vulgus, sed omnes quoque philosophos, praeter se ipsos ipsorumque sectatores, praeclarae spei iuuenes, non aliter ac stultos et plebeios despiciatui habent. Sibi videntur numine afflati, sanis autem hominibus fanatici arte desipientes. Quaecunque enim adferunt, quasi ex tripode pronuntiant. Subtilissimis vtun-

C 3

tur

tur verborum ambagibus, vt res per se clarae ac perspicuae e tenebris eruantur, quibus eas ipsi immersere. Ita philosophiam, quam Socrates e coelo in terram detraxisse fertur, e terra in Tartarum deiiciunt. Nocturni Lemures ab ipsis creati summa tibi religione venerandi sunt, vt dignus videare qui cum rerum inuentoribus eas “obscura nocte sub vmbras.” Caue autem, ne contra disputes! Habitat enim sub ista nocte

Horrendum stridens flammisque armata Chimera.

VIRGIL.

Plura de philosophorum vitiis monere piget philosophum. Superest autem vnum, quod nostra potissimum aetate memoratu dignum est. KANTIUS cum multos videret, omni lege solutos, rationum varietate delectari eaque argumentorum abscondere repugnantiam, id primum omnium philosopho curan-

curandum esse dixit, *vt sibi constet.*
Prudentissimum id quidem atque gra-
vissimum consilium. Quid enim phi-
losophia est, nisi ratio perfecta ac sibi
omnimodo constans? Sed et constan-
ter errari posse, ipsius philosophiae
praeceptis docemur. Arithmetici, quo-
rum ratio certissima est, arti quidem
suae nunquam diffidunt, sed falli se
interdum posse non ignorant. Itaque
si numerorum computatione summam
confici vident enormem atque haud
opinatam, dubii haerent et iteratis, in-
terdum etiam variatis rationum for-
mulis in eandem summam inquirunt.
Nec tamen vllae *res* arithmeticas, sed
numeri tantum, inter se conferendi
sunt, iique ratione certissima connexi.
Philosophis autem quanta rerum com-
paratione opus est! quam multiplici
argumentatione! Vna tantum notione
neglecta, fieri potest, vt ratiociniorum
copulatione, quantumuis ingeniosa,

C 4

nulla

nulla prodeat demonstratio. Quisnam autem mortalium nihil vnquam neglexit, quod curare debuisset? Quem non falsa fefellit argumentatio? Igitur cui sana mens est sensusque veri incorruptus, is, quanto magis ratiocinatio aliqua discrepat a communi omnium fere hominum iudicio, tanto diutius haeret in ipso quaestionis momento. Homines autem inueniuntur in iudiciis ferendis tunc quidem promptissimi, cum arguta demonstratione monstrosi aliquid proferunt et inauditi. Vt Crates Cynicus, honesta confundens cum naturalibus, cum vxore Hipparchia, pudicissima femina, in conspectu populi concubuit, sic homines isti, quos nominaremus, nisi odiosa essent exempla, philosophiam, sanctissimam Dei progeniem, foedis inquinant ratiociniis, vt sibi constant. Maxime quidem ante oculos philosopho spectandum est, nonnunquam tamen etiam ante pedes.

Sed

Sed “admonere volumus, non mordere.” Itaque ne medici esse videamur nobismet ipsi mederi nescientes, *quarto* eoque ultimo loco quaeramus:

Quisnam e sensus veri notione fructus praecipuus in philosophum redundet?

Satis superque dictum est, quod tamen et nostrae aetate philosophastri ignorare videntur, philosophi esse, quaecumque vera aut falsa esse statuerit, ad rationem reuocare, non ad sensum. Sed veritas, quam ratione investigamus, sensu veri tanquam e longinquo demonstratur. Sensu veri corrupto, ipsa corrumpitur ratio. Igitur, cui sana mens est, is rationi ipsi diffidit, si subtili ac singulari argumentorum conspiratione noui aliquid inuenisse videtur, sensu intus repugnante. Non enim sensus iste, quem ab omnibus animi perturbationibus facile dignoscas, perperam repugnat. Neque
tunc

tunc sanam tibi mentem esse existimes, si te in ipsa rerum tuique ipsius contemplatione impetu quodam raptum sentias. Poëtam eiusmodi ardor decet, non autem philosophum. Philosophus cum impetu in seipsum descendens formam mentis esse putat, quod vana est rerum species, imaginatione efficta. Itaque clarissimorum virorum, qui nouis philosophiam illustrauere repertis, dum verum indagarunt, tranquilla mens fuit ac placida. Eiusmodi tranquillitatis quasi diuinae indiciis plena sunt Platonis, Aristotelis, Leibnitii atque Kantii doctrinae. Igitur, qui sapit, neminem aliter sentientem iurgiis lacessit ac vel reuerentiam sibi debitam vel pugnam exposcit, imo ne dignum quidem te esse exclamat, qui manum cum ipso conseras. Non enim vlla animi perturbatione sensus veri magis vitiatur quam insolenti contentione ac arrogantia. Qui recte philosopha-

sophatur, multa quidem adfirmat, sed non ita adfirmat, vt dubitationem inter sanae mentis homines locum amplius habere neget. Ipse enim dubitauit ante quam aliquid statuit, neque tamen se furiosum aut stolidum fuisse arbitratur. Nec sensum, qui vulgo communis dicitur, despiciere, philosophi est, cum, isto sensu verum saepe esse significatum, ipsa superueniens philosophia docuerit. Denique cum singulus quisque errare possit, certa veritatis regula nunquam constabit vnus hominis auctoritate, sed praecipuorum philosophorum, quos philosophia praeter alias virtutes etiam ad modestiam erudiuit, consensu.

Hunc qualemcunque libellum
Vobis potissimum probatum esse
volo, quos, post munus a rege
nostro augustissimo et clementis-
simo eiusque regiis administris,
summa veneratione colendis, mihi
demandatum, singulari obseruan-
tia ac studio prosequi meum puto.
Itaque Te, Prorektor magnifice,
Vos, Academiae nostrae patres,
professores ac doctores, Vosque,
Ciues, Comites illustrissimi alii-
que

— —
que ingenio et doctrina florentis-
simi, vt orationem, quam crastino
die *de statu philosophi eoque quod*
interest inter philosophum et virum
doctum, habiturus sum, beneuole
audiatis, oro rogoque.

Scrib. Gottingae,

d. xxix. Aug. cl. lcccxcvii.